

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romæ, 1925**

Praetermissi Et In alios Dies Relati

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](#)

## PRAETERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

Abrōsimus. *Vid.* Miles.

Alquirini (seu Alquierii) monachi Clarevallensis elogium, omissa tamen quavis sancti vel beati appellatione atque cultus post mortem significative, legitur apud Herbertum in Libro de Miraculis (1) et iisdem ferme verbis in Exordio Magno (2). Eundem inter beatos commemorant plerique hagiographi cistercienses in suis menologiis et calendariis ad diem 10 nov. (3). Nihil tamen afferunt unde vel suspicari liceat cultum publicum ei unquam fuisse exhibitum.

Amator in codicibus occurrit pro Monitore episcopo Aurelianensi, de quo infra.

Amesi, al. Aminesi, Amnesi, Aniesi, Aniensi, B diaconi in hieronymianis mentio est post Demetrium seu Demetrianum Antiochenum. Fuerint ex eius societate annon minime liquet.

Andreas. *Vid.* Serastos.

Andreas primus abbas Caroli-Loci (Chaalis) in agro Silvanectensi, diebus variis a variis annuntiat: hoc die ab Henriquez in Menologio (4), et ab Andrea da Saussay inter viros piae memoriae (5); hoc item die atque IIII kal. maias in calendario Cisterciensi (6); die 10 decembris a Castellano (7). Philippus Seguinus, prior ipse Caroli-Loci, in libello manuscripto De abbatis bus et monachis qui sancti nomen meruerunt, sic ait, teste Henriquez: Sanctus Andreas de Baudimontio ex Pontiniaco primus Chalisi abbas, nomen sancti sortitus est anno Domini 1142 (8). De cultu tamen nihil praeterea constat.

Angelum Consentinum hodie annuntiat Arturus (9). De eo vide Gonzaga, De origine seraphicae Religionis, P.II, Prov. Calabriae convent. VII, p. 541.

Annibonia. *Vid.* Saturninas.

Anonymos duos fratres Ordinis S. Francisci, confessores, qui apud Campum Bassum in Apulia post ann. 1460 claruerunt, hodie nuntiat Arturus, additique auctore Gonzaga (10): Horum capita magna cum veneratione asservantur in sacroitorio conuentus Sancti Iohannis Campi Bassi (ubi sepulti iacent) ex quibus quidam liquor C

manna simillimus diu emanavit (11). De his certiora doceri cupientes, viros eruditos qui res patrias optime norunt, more nostro, litteri sadivimus, sed nullum tulimus responsum.

Antonius, quem varia nuntiant synaxaria (12), Antoninus est, quem in aliis hesterna die habuimus, et de quo in Actis nostris tractatum est die 3 septembries.

Balaten. *Vid.* Garsis.

Depositio Bernardi, qui Latinorum primus fuit Antiochenae ecclesiae patriarcha, ad hunc diem inscripta est in codice martyrologii Usuardi, quem Sollerius «Bruxellensem» appellavit et cuius auctoritatem non magni faciendam esse monuit (13). Inde iam dubia est fides huius mentionis, quae alibi nusquam legitur. Bernardus ille quidem Valentiae natus, in prima cruce signaturum expeditione, Haimari Podiensis episcopi capellanus fuit (14). Post expugnatam Syriam septentrionalem, Mascheniae (Maškenā) (15) vel Artasie (16) (Artāl) prope Berrioeam (Halab) episcopus fuit. Deinde, aestate anni 1100, cum Iohannes Graecorum patriarcha Antiochensis sedem urbemque suam relinquere coactus fuit (17), Bernardus in eius locum suffectus est, tubente Boamundo Antiochiae duce, cui Haimarus moriens speciale amicum amico commendaverat (18). Eius obitum refert Gulielmus Tyri archiepiscopus in serie rerum gestarum anni 1135, his usus verbis (19): Per idem tempus, dominus Bernardus bona memoriae vir grandaeius plurimum, simplex ac timens Deum, primus latinarum apud Antiochiam patriarcha, tricesimo sexto sui pontificatus anno, viam universae carnis ingressus est. Neque ex isto elogio neque aliunde colligi potest beatorum honores illi habitos fuisse. Utique ad eius laudem non pauca in historiis leguntur, nihil tamen quod eximiae sanctitatis famam ei videatur conciliasse. Immo vero fertur Bernardus non sine ambitione quadam curavisse ut sedis suae iura dictionemque amplificaret. Exstant Paschalis II Romani Pontificis epistulae aliquot in quibus ad eius quere-

(1) Lib. III, c. 15, P.L., t. CLXXXV, col. 1366-68. — (2) L. IV, c. 1, Exordia sacri Ordinis Cisterciens... edita per Magistrum D. Fr. IGNATIUM DE YBERO... nunc vero secundum exemplar Pamplunense denuo impressum (Rixhemii, 1871), p. 278-80. — (3) Angelus MANRIQUE, Laurea evangelica (Barcelona, 1608), p. 415; Kalendarium Sanctorum ac Beatorum maxime illustratum Ord. Cist. (Bruxellis, 1620); HENRIQUEZ, Menologium Cisterciense, p. 377; CHALEMOTUS, Series et vitae SS. ac BB. ac illustrum virorum sacri Ord. Cist. (Parisii, 1666), p. 355-356; Kalendarium Cisterciense, seu martyrologium sacri Ord. Cist. romanis rubricis accomodatum (Parisii, 1689), p. 311. — (4) Menologium Cisterciense, p. 377. — (5) Martyrologii galliacani pars posterior (Lutetiae Parisiorum, 1637), p. 855. — (6) Pp. 114 et 311. — (7) Martyrologe universel (Paris, 1709), p. 741. — (8) Op. c., p. 378. — (9) Martyrologium Franciscanum, p. 551. — (10) Fr. GONZAGA, De origine Seraphicae re-

ligionis (Romae, 1587), p. 423. — (11) Martyrologium Franciscanum, p. 551. — (12) Synax. Eccl. CP., p. 209-210. — (13) Martyrologium Usuardi, Praefatio, p. LX, num. 233. — (14) ORDERICUS VITALIS, Historia ecclesiastica, Pars III, lib. 10, 21. P. L., t. CLXXXVIII, p. 775; WILLERMUS TYRENSIS archiepiscopus. Historia rerum in partibus transmarinis gestarum, l. VI, cap. 24, Recueil des historiens des Croisades, Historiens occidentaux, t. I, 1 (Paris, 1844), p. 274-75. — (15) ORDERICUS VITALIS, loc. c. — (16) GUILIELMUS TYRENSIS, loc. c. — (17) ORDERICUS VITALIS, loc. c. Gulielmus Tyrensis, mitigata rei veritate, Ioannem ultra et sponte a munere se abdicasse et Constantinopolim secessisse refert. Historia, loc. c. Cf. B. KUGLER, Boehmund und Tancred (Tübingen, 1862), pp. 21, 66; R. RÖHRICH, Geschichte des Königreichs Jerusalem (1100-1291), (Innsbruck, 1898), p. 98. — (18) ORDERICUS VITALIS, loc. c. — (19) Historia, l. XIV, c. 10, t. c., p. 619.

-las

A las respondetur, aut lites componuntur quas cum Syriae episcopis et ipso Hierosolymorum patriarcha de iurisdictione non semel habuit (1). Quin etiam die 8 iulii anni 1128, Honorius II per apostolica scripta et venerabilem fratrem... Egidium Tusculanum episcopum, apostolicae Sedis legatum, Bernardo praecipit ut ad oboedientiam patriarchae Hierosolymitani restituat suffraganeos Tyrensis ecclesiae; quibus, nisi infra dies quadraginta mandato paruerint, munere episcopaliter interdicitur (2). Utique vel inter sanctos eius modi contentiones inaudite non sunt; sed alius virtutum meritis preponderari solent, quae tandem est hic non satis conspicua videri. Nullus est igitur ambigendi locus quin Bruxellensis interpolator Usuardi Bernardum Antiochensem patriarcham inter sanctos ultra retulerit. Huic tamen gratia debetur quod illius diem emortualem solus ab obliuione servaverit.

Calliopius. Vid. Nereus.

Candidianus. Vid. Eustocius.

B Catharina Tortolez, monialis clarissa, nuntiatur ab Arturo (3), quavis omissa cultus probatione.

Catulla matrona iam bis a maioribus nostris inter praetermissos amandata fuit, die 31 martii et 9 octobris (4), et ultime quidem loco inter sanctos minime visa est recipienda, quod de eius cultu ecclesiastico minime constabat. Neque magis constat eo quod hac die in uno ex Usuardi auclaris haec scripta reperiantur: Parisius, Catullae, matronea nobilissimae (5). Multa enim nomina, ex sanctorum historiis deprompta, in martyrologia sequioris aetatis irreperunt, quae nulla ecclesia suis fastis ascripsit. Ceterum, quae de Catulla tradita sunt, collecta sunt in commentario de S. Dionysio (6). Hic unum addam, monachum Sancti Dionysii Parisiensis, qui saeculo nono Dagoberti I gesta conscripsit (7), et qui Passionem SS. Dionysii, Rustici et Eleutheri adhibuit (8), perperam a Catulla matrona deduxisse nomen vici qui Catulliacus dicebatur. A Catullio enim vocabulum derivatum esse planum est (9).

S. Cunibertus Coloniensis episcopus hodie in D quibusdam exemplaribus interpolatis Usuardi, a Maurolico et a Ferrario in Catalogo generali commemoratus est. De eo mox agendum erit ad diem 12.

S. Cynfarwy, illius ecclesiae conditoris, vestigium servat nomen parochiae Llechgynfarwy (10), alias Llangynfarwy (11); haec quinque circiter passum milibus inter austrum et occidentem distat a Llanerchymedd, in septentrionali parte Monae insulae. Ibi in agro prope coemeterium, ante quinquaginta fere annos, stabat lapis altus pedum circiter novem, summae, ut videtur, antiquitatis. Hic, vulgo Maen Llech Gwenfarwydd (id est, si quid videmus, Lapis de Llechgynfarwy), seu Maen Lechgynfarwy appellatus, S. Cynfarwy monumentum esse passim credebatur. Vergente saeculo XIX removet est (12). S. Cynfarwy hoc stemma exhibent Ludovici Morris collectanea, anno 1760 ex aliquot codicibus vetustis, ut ipse refert, congesta: Kynvarwy ap Awy ap Llehenog, Arglywyd Kernyw (13); id est ortum esse Cynfarwy a quodam Awy filio Llehenogi, Cornubiae domini, quicumque hi fuerint. Nihil aliud de S. Cynfarwy nobis innotuit, praeterquam quod inter S. Kebii socios duodecim numeratur (14). Eius festum indicitur d. 10 novembris in codice Peniarth 187 (15); sed auctores alii alio die S. Cynfarwy memorant, d. 7 novembris (16), d. 8 novembris (17), d. 11 novembris (18). Verum cum ex uno fonte fluxisse videantur nomina Cyngar et Cynfarwy (19), et Cungarus S. Kebii socius et discipulus in Cambri a septentrionali Monaque insula die 7 novembris colatur (20), haud scio an unus idemque sanctus duplice nomine appelletur Cyngar et Cynfarwy; etsi in catalogo sociorum S. Kebii et Cyngar et Cynvarwy nominentur (21). Neque hoc loco iteranda videntur quae de S. Cungaro scripta sunt (22).

Cyprianus. Vid. Mabinus.

Dedicationem ecclesiae in coenobio Calmon annuntiat synaxarium *Habessinicum* (23). Calmon, Arabibus dictum Qalamūn, copice Cala-

C (1) R. RÖHRICH, *Regesta regni Hierosolymitani (MXCVII-MCCXCI)*, (Oeniponte, 1893), num. 34, 66, 72, 73. — (2) GUILLEMUS TYRENSIS, *Historia*, I. XIII, c. 23, t. c., p. 592; cf. RÖHRICH, *Regesta regni Hierosolymitani*, num. 123. — (3) *Martyrologium Franciscanum*, p. 550. — (4) *Act. SS.*, Mart. t. III, p. 899; Oct. t. IV, p. 564. — (5) SOLLERIUS, p. 666. — (6) *Act. SS.*, Oct. t. IV, in indice historico, i. v. Catulla. — (7) M.G., *Scri. rer. merov.*, t. II, p. 401. — (8) *Act. SS.*, Oct. t. IV, p. 794; B. KRUSCH, in *M.G.*, Auct. ant. t. IV, p. 104. — (9) H. d'ARBOIS DE JUBAINVILLE, *Recherches sur l'origine de la propriété foncière et les noms de lieux habités en France* (Paris, 1890), p. 214. — (10) Llech Gynfar legitur in codice Peniarth 147, conscripto circiter annum 1566, ap. J. Gwenogvryn EVANS, *Report on Manuscripts in the Welsh Language*, t. I, Part II (1899), p. 912, col. 2. Llechcynfarwy (sic) exhibit Owen JONES, *Cymru*, t. II, p. 186, col. 2. Llechgynfarwy recte, ut videtur, BARING-GOULD and FISHER, *Lives of the British Saints*, t. II, p. 243. — (11) Llangynfarwy legitur in indice parochiarum Cambriae quem codicis appellata *Llywyr John Brooke o Vouddryw*, descripto anno 1590-1591, adiecit vir eruditus et clarus Iohannes Davies de Mallwyd, ap. J. G. EVANS, I. c., annot. 12. Ea nominis forma nondum prorsus abolita videtur, cf. BARING-GOULD and FISHER, I. c. — (12) Owen JONES, I. c.; BARING-GOULD and FISHER, I. c. —

(13) *Mygryian Archaeology*, ed. 2, p. 422, col. 1. F — (14) In codice dicto *Llywyr John Brooke o Vouddryw*, ap. BARING-GOULD and FISHER, op. c., t. IV, p. 383, col. 1. — (15) Ap. J. G. EVANS, t. c., p. 1014; cf. BARING-GOULD and FISHER, op. c., t. I, p. 75, col. 2, et t. II, p. 243. — (16) Browne WILLIS, *A Survey of... Bangor* (London, 1721); Angharad LLWYD, *A History of the Island of Mona or Anglesey* (Ruthin, 1833); Rice REES, *An Essay on the Welsh Saints*; alli. Cf. BARING-GOULD and FISHER, t. II, I. c. — (17) *Calendarium circiter annum 1500 exscriptum*, in *Iolo Manuscripts*, p. 152, col. 2; *Llyfr Plygain*, ed. 5 (1618), et *Llyfr Plygain*, ed. Dr. John DAVIES de Mallwyd (1633), in calendario. Cf. BARING-GOULD and FISHER, t. I et II, II. cc. — (18) Cod. Peniarth 219, descriptus circiter annum 1615, ed. J. G. EVANS, t. c., p. 1043-45; cf. BARING-GOULD and FISHER, t. I et II, II. cc. — (19) Vid. *The Text of the Book of Llan Dâv*, ed. J. G. EVANS et J. RHYS (Oxford, 1893), p. 392, col. 1, i. v. Cinguarui, et p. 393, col. 2, i. v. Conguare, Conguaret, Conguarui. — (20) *Act. SS.*, Nov. t. III, p. 404, num. 6; *Cyngar Sant*, in *Anal. Boll.*, t. XLII, p. 105-106, cf. ibid., pp. 107-108, 116-17. — (21) BARING-GOULD and FISHER, t. IV, I. c. — (22) *Act. SS.*, Nov. t. c., p. 403-407; *Cyngar Sant*, in *Anal. Boll.*, t. c., p. 100-120. — (23) *Codex Aethiop.* 126 bibliotheca Nationalis Parisiensis, fol. 74v.

-món,

A mon, monasterium fuit in vasta solitudine provinciae Faium in Aegypto (1). Conditum est non multo ante Arabum irruptionem a Samuele abate, qui in eo Virginis Deiparae titulo ecclesiam erexit. De huius dedicatione nihil narratum legimus in fragmentis Vitae copiae Samuelis BHO. 1035, neque in epitome aethiopica BHO. 1036. Sed Abu Šalih Armenius testatur hanc revera contigisse die 14 mensis heliū, qui novembri est 10, uti refert synaxarium Habessinicum (2). Specrandum est alia documenta ad lucem erutum īrī, antequam ad diem 4 decembri (choiac 8) de vita Samuelis nostris successoribus agendum erit.

Didacus de Lugo laicus ordinis Minorum, Salmanticae tumulatus, annuntiatur ab Arturo (3). Nulla nobis suppetit cultus probatio.

Donatus, al. Donata, sociis S. Saturnini, martyris Afri ceterum ignoti, in codicibus B, W aliis que martyrologii hieronymiani annumeratur.

Eclus sanctus ad hunc diem legitur in fastis illius sanctorum Hiberniae, a scriptore ignorato parum studiose et diligenter elaboratis, quae Philippus O'Sullevanus Bearrus typis mandavit (4). Sed hypothetar error corrigendus est, qui cl pro d posuit; nullum enim usquam Eclum repperimus, et in opere quod illustriores tantum Hiberniae sanctorum memorat projecto d. 10 nov. inseri debuit Edus, sive Aidus, Killarensis episcopus.

Ephraem, qui in synaxariis nuncupatur ὄμολογητής et ἐπίσκοπος Οὐρίας (5), ceterum ignotus est.

Erastus. Vid. Olympas.

Ermegardis. Vid. Irmgardis.

Eustoci (al. Eostosi) et sociorum eius quibus addunt codices B, W Ianuarium, alii etiam Candidianum, annuntiatio est hieronymianorum quam nullo commentario illustrare possumus.

Evodius apostolorum discipulus annuntiatur in Sliba martyrologio (6). Fidenter restringe Rhodium; cf. infra Olympas.

S. Felicis II papae passionem hoc die ab aliquibus recoli affirmat Grevenus. Iam dictum est de eo ad diem 29 iulii. Legenda sunt quae scripsit v. cl. L. Duchesne de utroque Felice via Aurelia sepultu (7).

C Garsis (Gārsis) et Balaten (Balāten), in synaxario Habessinico ad hunc diem memorati, si quid perspicimus, iidem sunt Harsios, i. e. Horsiesius,

et Batātan medicus, qui a Coptis recoluntur ille D. quidem die 15 mensis epip (iulii 9), iste autem die 19 epip (iulii 13) (8). Eos autem hue incidisse soli mirabuntur ii qui aethiopicam incuriam nondum experti sint.

S. Genovefae virginis Parisiensis translationem hodie commemorat Saussaūs, cuius verba exscripsit Bollandus, Ian. t. I, p. 1089. Iam vero manifestum est hanc translationem eandem esse de qua ab ipso Saussaio ad d. 28 octobris mentio erat facta. Cf. Act. SS., Oct. t. XII, p. 411. Translationis historia ab auctore aequali, Iacobo de Dinanto, conscripta est (cf. BHL. 3349, 3350).

Die 10 novembri in libris liturgicis Hiberorum passim annuntiatur festum S. Georgii martyris: quae propria commemorationis eius in rota tormentaria. Vide, exempli gratia, hymnarium hibericum saec. X et synaxarium S. Georgii Hagioritae apud C. KEKELIDZE, Аптигурические грузинские памятники из отечественных книгохранилищах (Tiflisi, 1908), pp. 381, 239. Itaque de argumento huius festi iam alias suo loco satis dictum est.

S. Georgii Lutevensis seu Lodovensis episcopi memoria recentiore aetate in hunc diem relata est. Nos antiquiores fastos secuti, de eo egimus die 9 novembri.

S. Georgius, Vellavorum apostolus primusque, ut ferunt, Vellavensis ecclesiarum antistes, hoc potissimum die nobis illustrandus esset, quo sacram eius memoriam ab antiquis temporibus celebratam fuisse plurima confirmant testimonia, ut semel atque iterum monuerunt decessores nostri (9). Cum autem d. 12 huius mensis de sanctis Evodio, Scutario, Aurelio, Ermentario, Suacrio agendum sit, et simul de Aniciensis sedis primordiis, sapientioris consilii esse videtur Georgium ad hunc diem remittere.

Gerembaldus. Vid. Werembaldus.

S. Gobriani Venetensis episcopi festum indicatur d. 10 novembri in monumentis liturgicis illius dioecesos recentioribus. Cultus olim erat III nonas novembres, quo die a decessoribus nostris de eo actum est (10); sed eo consilio, ut videtur, ne quotannis in S. Guenhaelem, seu Wenailum, Lan-devenencensem abbatem Gobriani incurret, huius festum dilatum est, primum in nonas (11), mox in IV idus novembres. Hic usus etiamnum obtinet (12).

(1) E. AMÉLINEAU, *La Géographie de l'Égypte à l'époque copte* (Paris, 1893), p. 337-38.—(2) Ed. B. T. A. EVETTS, *The Churches and Monasteries of Egypt*, in *Anecdota Oxoniensia*, Semitic Series, Part VII (1895), p. 206-208; cf. F. M. ESTEVEZ PEREIRA, *Vida do Abba Samuel do mosteiro do Kalamon* (Lisboa, 1894), p. 191-97; in quo opere, collecta reperies alia testimonia de coenobio Calamon, e fontibus aethiopicis et arabicis. — (3) *Martyrologium Franciscanum*, p. 551. — (4) *Historiae Catholicae Iberiae Compendium* (Ulyssipone, 1621), lib. IV, cap. xi, p. 48; ed. M. KELLY (Dublini, 1850), p. 51. — (5) *Synax. Eccl. CP.*, p. 212. — (6) *Anal. Boll.*, t. XXVII, p. 167. — (7) *Le Liber Pontificalis*, t. I, pp. cxxxv, 211. — (8) *Anal. Boll.*, t. XL, p. 107. — (9) *Act. SS.*, Aug. t. IV, p. 399; Oct. t. XI, p. 393. — (10) *Act. SS.*, Nov. t. II, pars I, p. 72-73. — (11) Et ad III nonas et ad nonas festum inscriptum est in Missali Venetensi manuscripto saec. XIV, nunc in bibliotheca civitatis Rothomagensis signato A 434, DUINE, *Bréviaires et Missels des églises et abbayes bretonnes de France* (Rennes, 1905), p. 141-42, num. 51. Ad III nonas

Novembri Tomus IV.

tantum S. Gobriani commemorationem in missa S. Guanhælis indicit Missale Venetense Parisiis impressum anno 1535, cuius unicum exemplum non Venetiis, sed Alrai asservatur (cf. DUINE, op. c., p. 143, num. 53). Ad nonas tantum in Missali ad usum Ecclesie Venetensis (Parisiis, 1530), ap. J.-M. LE MENÉ, *Histoire du diocèse de Vannes*, t. I (Vannes, 1888), p. 516, festum S. Gobriani legitur. Utrobique iterum in Breviario Venetensi anni 1589, de quo DUINE, op. c., p. 123, num. 49. Haec festi ad nonas translatio casu fugisse videtur doctissimum virum Franciscum Duine, in iis quae fuse eruditus scripsit de S. Gobriano, primum *Notes sur les Saints bretons*. Deuxième partie: Saints de Brocéliande. II. Saint Gobrien, in *L'Hermine*, t. XXX (1904), pp. 59-65, 115-23, 167-72, cet.; postea *Les Saints de Brocéliande*. II. Saint Gobrien (Paris, 1904). Cf. Id., *Memento des sources hagiographiques de l'histoire de Bretagne*. Première partie (Rennes, 1918), p. 72-73, num. 38. His in rebus plurimum nos iuvit humanitas eruditus viri Iosephi canonici Moisan, episcopo Venetensi a secretis.—(12) *Proprium sanc-*

40 S.

A S. Gregorii III papae meminit hodie *Castellanus*; de eo agendum erit ad diem ipsi festum, qui est 28 huius mensis.

S. Guenaili memoria hodie inscripta est manu recentiore in calendario cuiusdam breviarii *Sanci Victoris Parisiensis* anno 1392 exarati (cod. Paris. B. N. lat. 14279; cf. Catal. Lat. Paris., t. III, p. 717). De eo vide ad d. 3 nov. t. I, p. 669-79.

Harsios (Horscius). Vid. Garsis.

De S. Herculano, quem hodie commemorant Eremitae S. Augustini (1), diximus ad d. 7 huius mensis (2).

Ianuarius. Vid. Eustocius.

S. Illandum (al. Illund, Illadan, Iolladan) episcopum abbatemque de Ráith Lipthen in Media, Hiberniae regione (3), et S. Aidi Killariensis magistrum (4), una cum discipulo hodie coli legit Challoner (5) apud Usserium (6), vel potius se legisse somniavit. Caverat enim doctissimum scriptor ne huc inferret sanctum quem expresse memorant antiqua monumenta ad d. 10 iunii (7).

B Iohannes Qartaminensis, in Sliba martyrologio commemoratus (8), unus videtur esse e clarioribus viris monasterii Qartamini, forsitan coenobiarum ille qui saeculo XI inuenit apud Syros regionis Turabdin usum scripturae « strongylae » redintegravit (9). Sed etiamsi haec conjectura verum assecuta sit, hominem de litteris syriacis bene meritum in sanctorum numero habitum fuisse non constat.

Iohannem Scotum sive Eriugenam, celeberrimum illum saeculi IX scriptorem, postquam in Gallia versatus libros conscripsit, quos omnes norunt, tandem in Angliam profectum esse ibique in monasterio Malmesburiensi factum monachum et a pravis pueris occisum martyrem obiisse, fabula est quam post Gulielmum Malmesburiensem (Gesta pontificum Anglorum, V, 240; Gesta regum Anglorum, II, 122) nonnulli scriptores protulerunt. Qui cum ita inter sanctos cooptatus esset, non aliam ob causam die 10 novembris in recentioribus martyrologiis inscriptus est, nisi quia ipso die colitur alter Iohannes et ipse Scotus, Iohannem dico episcopum Megaloburgensem, de quo pluribus infra. Primus diem natalem alterius Iohannis in alterum transtulit Trithemius, in opere De viris illustribus O. S. Benedicti, t. III,

torum dioecesis Venetensis. Pars aestivalis (Veneti, 1630), in calendario ad d. 10 nov. (cf. ad d. 3. nov. et Act. SS., Nov. t. c. p. 72, num. 2.) et p. 22-25; *Proprium sanctorum dioecesis Venetensis* (Veneti, 1652), pp. 24 (cf. p. 23 et Act. SS., ibid., num. 3), 44-46; calendarium *Propriet Venetensis* impressi anno 1660, editum a TRÉVAUX, *Les Vies des Saints de Bretagne...* par Dom G.-A. LOBINEAU, t. I (Paris, 1836), p. XXXV, col. 2; *Officium sanctorum propria ecclesiae et dioecesis Venetensis* (Venetiis, 1757), in calendario et p. 136-39; *Proprium missarum sanctorum dioecesis Venetensis* (s. l., s. a [saec. XIX]), p. 10; *Ordo divini officii Venetensis*, 1854, 1899, 1908-1913. — (1) *Catal. Lat. Paris.*, t. III, p. 717. — (2) *Act. SS.*, Nov. t. III, p. 322. — (3) Hogan, *Onomasticon Goedelicum*, p. 573, 1. vv. Ráith Libthen et Ráith Lipthen; hodie Rathlin, locus in parochia Killoughy, baronia Ballyboy, King's County. *Census of Ireland, 1901, General Topographical Index*, p. 792. — (4) Ut in *Vitis S. Aidi legitur*, quas ad hunc diem typis mandamus. — (5) *A Memorial of British Piety or a British Martyrology*, p. 175; ubi illaud typographiae mendum

c. 212; secuti sunt qui editionem principem martyrologi Romani anno 1583 paraverunt multis mendis inquinatam, tum alii martyrologi ut Arnoldus Wion, Dempsterus, Camerarius, Ferrarius, Menardus, Saussaius, Bucelinus. Verum iam ab anno 1586 nomen commenticit illius sancti a martyrologio Romano expunxit Baronius.

Iomas episcopus, quem die 10 mensis trevis posterioris annuntiat Sliba (10), lapsu calami non men videtur duxisse a Nonno episcopo, de quo superius inter praetermissos ad d. 9 novembris (11).

B. Ioseph Eugubinus Ord. Min., qui ab Arturo (12) ad d. 5 octobris nuntiatur (cf. Act. SS., Oct. t. III, p. 4), hodie defunctus fertur et laudatur a Ludovicu Iacobilli (13), viro in Umbria historiis egregie exercitato. Attamen praeter beati appellationem nihil afferit unde publicam venerationem innuat.

B. Irmgardem virginem, Zutphaniae comitissam, olim non solum die 4 septembribus, sed etiam 10 novembris cultam esse, tum Florario illo manuscripto docemur (14), quod a tempore Bollandi in hagiographorum bibliotheca serabatur (15), tum apographo Vitae latinae (BHL. 4470), quod inter Gelenii farragines inventum est (16). De ea post Suyskenum nostrum (17) lectu digna scripserunt P. Norrenberg (18) et I. Kleinermanns (19).

S. Iusti, qui variis in locis Aegypti celebatur (20), celebritas habebatur in civitate Oxyryncho die mensis athyr 14, id est novembris 10, qui velut ἡμέρα αὐτοῦ notatur in calendario (21).

Instina. Vid. Mabinus.

Lazarus σωτηρ πατήρ καὶ δούλιος de quo in Menaeis (22), Galisiolam esse existimamus, qui loco proprio ad d. 7 nov. tum in aliis exemplibus (23) tum in Actis nostris commemoratur.

Rome, depositio S. Leonis episcopi, teste martyrologio hieronymiano celebratur. In libro Pontificali, perperam notatus est dies (24) quo etiam in opere nostro, de sancto pontifice tractatum est, III id. aprilis, seu 11 aprilis.

S. Leonem episcopum Egarensem, Milleduni (Milloz) in Hispania cultum hodie multis nuntiat Tamaius de Salazar. Scilicet e Gallia in Hispaniam suam transtulit, ut saepe in aliis sanctis fecit, etiam S. Leonem seu Leonium confessorem Melodunensem (Melun), qui hodie coli-

est pro Iland. — (6) *Britannicarum ecclesiarum antiquitates*, ed. altera, p. 498. — (7) Cf. COLGAN, *Acta Sanctorum Hiberniae*, p. 422, annot. 7; O'HANLON, *Lives of the Irish Saints*, t. IV, p. 611-14. — (8) *Anal. Boll.*, t. XXVII, p. 167. — (9) Ibid., pp. 167, 136. — (10) *Anal. Boll.*, t. XXVII, pp. 142, 167. — (11) P. 7. — (12) *Martyrologium Franciscanum*, p. 493. — (13) *Vite de' Santi e Beati dell' Umbria*, t. III (Foligno, 1661), p. 23. — (14) *Act. SS.*, Sept. t. II, p. 270, num. 1. Vid. etiam editionem Usuardi a Greveno procuratam ad h. d. *Ermegardis committissae Zutphaniae*. — (15) Cf. *Act. SS.*, Ian. t. I, p. LIII. — (16) Cf. P. NORRENBERG, *Die hl. Irmgardis von Süchteln* (Bonn, 1894), pp. 33-34, 40, 43; Joseph KLEINERMANS, *Die hl. Irmgardis von Aspel* (Köln, 1900), pp. 23, 33. — (17) *Act. SS.*, Sept. t. II, p. 270-78. — (18) Op. c. Cf. *Anal. Boll.*, t. XIV, p. 451. — (19) Op. c. Cf. *Anal. Boll.*, t. XX, p. 348-49. — (20) *Anal. Boll.*, t. XL, p. 359. — (21) *Anal. Boll.*, t. XLII, pp. 84, 90. — (22) *Synax. Eccles. CP.*, p. 211. — (23) Ibid., p. 203. Cf. p. 964. — (24) DUCHESNE, *Le Liber Pontificalis*, t. I, pp. 239, 241.

-tur.

A tur. Nilitur autem unice adversariis illis Luillandi, quae omnes iam norunt tam spuria esse quam quae maxime.

S. Leo seu Leonius confessor in oppido Milleduno hodie in martyrologio Romano et aliis paucis occurrit. Wallerius, abbas Sancti Petri Melodunensis saec. X, laudatur « in Vita seu Miraculis S. Leonii confessoris, cuius translationem ex ecclesia suburbana ipsius nomini dicata in basilicam Sancti Petri procuravit (1). » Libellum frustra quaesivimus, nec quicquam de S. Leonio reperire contigit praeter epistolam 1614 ad Heribertum Rosweydem nostrum a Sebastiano Rollardi, Melodunensi datam (2). Ceterum eius memoria agebatur Meloduni et aliis locis (3) non 10 sed 12 novembris, quo de eius Actis, si Deo placuerit, tractatio instituetur.

S. Leonardus hodie in calendario cuiusdam missalis Pietavensis saeculi XV inscriptus perhibetur (4). De illo vid. ad d. 6, t. III, p. 139-209.

B Liberius martyr Agathensis, de quo in Usuardo Bruxellensi (5), alius non est a Tiberio, cuius Acta mox dabitur.

S. Ludmillae translatio hodie nuntiata est in quibusdam martyrologiis atque in dioecesis Praagensi et Olomucensi pridem celebatur; vid. ad d. 16 sept., t. V, p. 339, num. 2, p. 351, num. 64. De ipsa Ludmilla egit ibid., p. 339-63 Suyskenus noster. Cuius commentarius maximam partem nilitur Vita a Christiano monacho conscripta; quae postquam vix non toto saeculo XIX communiter traducta est veluti opus spuriū et fidei prorsus suspectae, tandem argumentis minime spernendis in pristinam auctoritatem, etsi nondum apud omnes, restituta est. Cf. Anal. Boll., t. XXII, p. 224.

B. Ludovici a Gebenna, confessoris, Clusis in territorio Gebennensi, gratia miraculorum illustris meminit Arturus (6) solo Iacobi Fedore nixus testimonio (7).

S. Ludovici O. F. M. episcopi Tolosani translationem ab anno 1484 per plura saecula liturgice hac die a S. Francisci Assisiensis familia celebratam paulatim evicit festum S. Andreea Avellini, C universas ecclesiae iussu Clementis papae XI anno 1712 ritu publico eodem die quotannis prosequendum (8).

Mabrinus (Mabrinos), Taratina (Taratīnā) et Iastina (Iastīnā), qui hodie annuntiantur in synaxario Habessianico, nulli alii esse possunt quam Cyprianus et Iustina, inter quos perabsurde se

insinuavit Terentius, vel Tertius, idem qui in D calendaris graecis memoratur ad hunc diem.

Marcianum, urbis Thraciae episcopum, qui ab Arianis in exsilio pulsus in Aethiopiam colitur, unus memorial Castellanus; sed iniecta mentione Aethiopiam satis prodit se exscriptissim calendarium Ludolfi, ubi ad diem 14 cedat annuntiatur Marianus (Martiānos) episcopus. Ipse Ludolfus hoc elogium mutuatus est ex Aethiopico synaxario, in quod per synaxarium Alexandrinum defluxit memoria Magistrōvō ἐπισκόπον Ταραζίνης, qui ipse est S. Martinus episcopus Turonensis, ut suo loco dicetur.

S. Martinus I papa, etsi eum hodie commemo- rant insigniora quaque martyrologia historica, puta Adonis, Usuardi, aliorum, atque ipsius festum ipso die multis in locis celebratum esse docent libri liturgici (9), in martyrologio tamen Romano ad d. 12 inscriptus est, quo die et nos de eo agemus.

Martinus episcopus Tagazīnēs al. Φραγγλας, ita in synaxarīs (10), Turonensis est, qui colitur postridie.

Maura, nunc sola, nunc Timotheo sociata in synaxariis nuntiatur (11). De utroque obiter dictum est heri, fuse ad diem 3 maii.

S. Maurus Virodunensis episcopus, cuius festum pridem hodie celebrabatur tum Viroduni (12), tum alibi (13), in martyrologio Romano die 8, in hodierno calendario dioecesis Virodunensis die 16 huic mensis inscriptus est. De eo ad d. 4 septembribus, quae potuit, collegit Limpenus noster (14), quo die translatio sancti praesulū recolitur.

S. Mennas confessor, qui hodie Beneventi nuntiatur in codice Usuardi Vaticano lat. 5949, olim Sanctae Sabinae Beneventanae, idem utique est Mennas solitarius in Samnio, de quo cras.

Miles Susae episcopus, Abrosimus presbyter et Sina diaconus martyres in Perside die 10 novembris in quibusdam graecorum synaxariorum codicibus recoluntur (15). Acta eorum chaldaica (16) eos obisse referunt luna XIII mensis tezini posterioris, quae ex veterum computatione in diem 10 novembris incidere non poterat. Si recte quidem vidit Eudoxius Assemanni sanctos martyres an. 341, Sapori 32, interfectos esse (17), dies eorum emortualis computandus esset 7 novembris, in quo nusquam in calendariis memorati comperiuntur. Sed cum ille annus incertus sit neque Actorum chaldaicorum chronotaxis indubitatem fidem mereatur, non est cur auctoritatem deseramus praestantiorum

(1) *Gallia Christiana*, t. XII, p. 172.—(2) Inter Collectanea Bollandiana, cod. bibl. Regiae Bruxellensis 8936-38.—(3) SOLLERIUS, *Martyrologium Usuardi*, pp. 665, 668. In Missali Parisiensi saec. XIII, etiam die 12 novembris inscriptum est festum S. Leonis Conf. duplex, 19 vero eiusdem mensis Octava S. Leonis IX lect. Cod. bibliothecae Mazarineae 442. In Missali item saec. XIII, cod. bibl. Nationalis 1112, eadem die, fol. 21: *De S. Leonio Confessore*.—(4) Cf. *Catal. Lat. Paris.*, t. III, p. 717.—(5) SOLLERIUS, *Martyrologium Usuardi*, p. 665.—(6) *Martyrologium Franciscanum*, p. 550.—(7) « F. Louys, natif de Genève, lequel est tenu pour béat, d'autant qu'il a fait plusieurs miracles bien évidens après sa mort par la guérison de certaines maladies incurables de leur nature, les malades ayant fait leur dévotion sur sa fosse. » Jacques Fo-

DERE, *Narration historique et topographique des convens de l'ordre de S. François... de la province ancienne appelle de Bourgogne, à présent de S. Bonaventure* (Lyon, 1619), p. 844. — (8) *Acta SS.*, Nov. t. III, p. 746-47. — (9) Cf. *Catal. Lat. Paris.*, t. III, p. 717. — (10) *Synax. Eccl. CP.*, p. 210-211. — (11) *Synax. Eccl. CP.*, p. 210-11. — (12) Vid. inter alia *Martyrologium Treverense* (*Anal. Boll.*, t. II, p. 31), Missale S. Mauri Virodunensis saec. XIII (cod. Parisinus, Bibl. Nat. lat. 4); *Breviarium Virodunense* anno 1625 typis editum; codices Usuardi intercalares apud Sollerium ad h. d. Cf. etiam *Act. SS.*, Sept. t. II, p. 225, num. 18.—(13) Cf. *Catal. Lat. Paris.*, t. III, p. 717.—(14) *Act. SS.*, t. c., p. 221-25.—(15) *Synax. Eccl. CP.*, p. 212; cf. ASSEMANI, *Acta Martyrum Orientalium*, p. 61-62.—(16) *BHO*, 772.—(17) *Ibid.*, p. 65. codicum

A codicum in quibus S. Miles et sociorum eius festum diei 13 novembris assignatur (1). Vid. etiam Act. SS., Apr. t. III, p. 21, ubi S. Miles in cetera martyrum Persarum, ad diem 20, ex Sozomeno memoratur.

Nereus (al. Nirus) cum Calliopio et Oreste nuntiantur in synaxaritis (2). Dubium tamen est num fuerint in martyrio socii. Orestis enim Tyanensis eodem die commemoratio agitur, cuius proinde hoc loco nomen delendum est. De ceteris omnia ignota sunt. Est ubi Nereus et Calliopius Ἡραος οαι Καλλιοπη nuncupentur (3), Orestes etiam Orion (4).

Nilus paucis in codicibus hodie, in plerisque die 12 novembris commemoratur.

Qui Nirus in Meneais nuncupatur, in synaxaritis plerisque Nereus dicitur.

Nitoris Aurelianensis episcopi, quae lectio est breviarii Richenoiensis, facile emendatur in Monitoris, de quo fustis infra.

S. Nonnus (5) quis fuerit diximus heri.

B S. Notarius episcopus qui apud Belinum, Molanum (6), Ferrarium (7) hodie Aurelianis nuntiatur, alium non esse a Monitore, huius sedis episcopo, de quo mox, certum nobis est. Cum nullum Notarium in serie episcoporum Aurelianum reperiret, Saussaius ita rem componi posse censuit ut scriberet: Aurelii sancti Notarii episcope notissimae pietatis, at incertae sedis, infelicitate sane (8).

Olympas, Rhodion, Sosipater, Tertius, Erasmus, Quartus, quorum nomina profert S. Paulus c. XVI epistulae ad Romanos, quosque ex septuaginta discipulis fuisse narrant synaxaria et varia passos esse vel ecclesiis praefuisse (9), die quoque 30 iunii cum ceteris apostolis et discipulis commemorantur (10).

Onesiphorus et Porphyrius, quos in libris nonnullis die 10 novembris reperimus, die 9 plerunque occurunt.

Orion cuius hodie cum Calliopio et Niro (Nereo) mentio est in Meneais, in plerisque synaxaritis Orestes dicitur.

Porphyrius. Vid. Onesiphorus.

C Quartus. Vid. Olympas.

S. Quintianum Arvernensem episcopum hodie commemorant Ferrarius, Saussaius, Castellanus, breviarium Claromontanum anni 1774. De eo agetur ad diem quo in martyrologio Romano annuntiatur, qui est 13 novembris.

Rhodion. Vid. Olympas.

Robertus de Bellovisu, martyr ex Ordine Praedicatorum, quem die 10 maii inter praetermisso

commemoraverunt maiores nostri, hoc die in recentiore editione Anni Dominicani (11) laudatur.

Samueli prophetae apud Graecos et Latinos dies sacer est 20 augusti, ad quem diem, de eius historia, ut tunc poterant, dixerunt maiores nostri (12). A Graecis in hoc non recedunt plerique Orientales Syri et Armenii. Erratica igitur mentio est Samuelis prophetae, quae in calendarium Berrhoeense saeculi XVI ad diem 10 mensis Iesrin posterioris irrepsit (13). Fortasse scriptor quidam Iacobita hoc deceptus fuit, quod S. Samuelis Qalamonensis, quem ipse ad diem 5 decembris annuntiat (14), mentionem alicubi anticipatam repperit.

In Africa Saturnini, Annibonae et aliorum XVIII (al. XVII). Horum martyrum, qui in hieronymianis recensentur, nulla Acta habentur. Sint illi qui in calendario Carthaginensi (...) id. nov. sub nomine sanctorum Capitanorum nuntiantur (15), decernere non ausim.

Serastos (Serastos), qui in synaxario Habessinico annuntiatur, probabiliter idem est atque Orestes, cuius Acta suo loco ad hanc diem elucidabuntur. Andreas autem quem videtur hic socium habere plane ignotus est.

Sina. Vid. Miles.

Sosipater. Vid. Olympas.

« Calari festivitas inventionis corporis S. Sperati martyris et aliorum pene innumerabilium. » Ita Ferrarius ad hunc diem, additque commentarii loco: « De Sperato et soc. mart. martyrologium Romanum die 17 iulii. Sed huius corpus Lugduni in Gallia. Forte hic ab illo diversus (16). » Plurima in Sardinia saec. XVII reperta esse corpora et inscriptiones quas martyrum esse censuerunt nemo ignorat. Reliquias S. Sperati inventas esse in loco dicto San Sperato, in dioecesi Calaritana (17) narrat archiepiscopus Franciscus de Esquivel, titulunque excrribet

+ HIC SVNT RELIC....

SPERATI ET MY.M...

D... RVMASIO EPIS...

quem ita interpretatur: Hic sunt reliquiae sancti Sperati et multorum a Brumasio episcopo reconditae, addens S. Brumasiū, episcopum Calaritanum, pastorem vigilissimum anno 1493 loci San Sperato dicti ecclesiam exstruxisse ut reliquias S. Sperati ibi recondaret (18). Quanta cautela haec recipienda sint optime norunt quicunque Sardiniae res hagiographicas vel obiter tetigerunt. Quandonam S. Speratus loci patronus esse coepit multum interest rescire; sed nihil de re contingit reperire.

(1) BUTLER-DE RAM, *Vies des Pères, Martyrs et autres principaux saints*, t. VI, p. 118, typothetarum mendo deceptus apud ASSEMANI, I. cit., existimat an. 341 lunam XIII mensis Iesrin posterioris incidisse in kal. novembres, et in synaxaritis ad diem 10 novembris inscriptam fuisse martyrum depositionem. Labitur haec conjectura cum errore in quo nixa est. — (2) *Synax. Eccl. CP.*, p. 212. — (3) *Ibid.*, p. 210. — (4) *Ibid.*, p. 212. — (5) *Synax. Eccl. CP.*, p. 212. — (6) SOTLERIUS, *Martyrologium Usuardi*, p. 665-66. — (7) *Catalogus generalis sanctorum*, p. 437. — (8) *Martyrologium Gallicanum*, t. II, p. 1194. — (9) *Synax. Eccl. CP.*, p. 209. — (10) *Ibid.*, p. 786. Cf. p. 1023. — (11) *Année Dominicaine*, nouvelle édit., Novembre, t. I (Lyon, 1906), p. 404. — (12) *Acta SS.*, Aug. t. IV, p. 6-16. —

(13) NAV, *Patrologia Orientalis*, t. X, p. 65. —

(14) *Ibid.*, p. 67. Non absimili errore delusus fuit et Sliba, qui Samuelem prophetam proprio quidem die annuntiat ad 20 augusti, sed tamen ad diem 9 decembris eum nominat, utique pro Samuele Qalamonensi, cuius festum incidit in diem 8 mensis choiac (4 decembris). Cf. *Anal. Boll.*, t. XXVII, pp. 159, 143, 190, 170; *BHO*: 1035-1036. — (15) *Act. SS.*, Nov. t. II, p. [lxxxi].

(16) *Catalogus generalis sanctorum* (Venetiis, 1625), p. 436-37. — (17) G. CASALIS, *Dizionario geografico degli stati di S. M. il re di Sardegna*, t. XVIII, p. 754. — (18) *Relacion de la invencion de los Cuerpos santos que en los años 1614, 1615, y 1616, fueron hallados en varias Iglesias de la Ciudad de Caller y su Arçobispado* (Napoles, 1617), p. 96-97.

Terentius

- A Terentius (Tertius). *Vid. Mabrinus.*  
*Tertius. Vid. Olympas.*  
 S. Theocistiae Lesbiae, cuius Vita inserta est menologii graecorum et commemorationis martyrologio Romano ad diem 10 novembris, Acta dedimus ad diem 9, quo in synaxariis recolitur.  
 Theodori Studitae *Acta neque die 10 neque 11, qui eius natalis est, illustrare conabimur sed die 12, quo martyrologio Romano inscriptus est* (1).  
 Theodorum, adolescentem illum qui Antiochiae sub Iuliano crudelissime tortus est, superstes tamen relictus est, ut habemus ex Rufini Hist. eccl., X, 38, recentiores nonnulli inter sanctos huius diei collocant (2). Quo iure, nondum potuimus assequi.  
 Theodori episcopi Siccensis et confessoris *Greven annuntiatio est* (3). Eudem episcopum summae perfectionis dicit Whytford, qui tamen nomen sedis retinet (4). Theodorus Sycota sponte mentem subit. Ille tamen a Graecis solis colitur die 22 aprilis (5).  
 B Theodosium hoc die in synaxariis nonnullis et calendario Neapolitano inscriptum esse diximus ad d. 9 novembris.  
 S. Theosterictus, de quo diximus ad diem 9, hodie in Menaeis nuntiatur (6).  
 S. Tremori hodie memorial antiquum sanctuale Corisopitense (7) in calendario hisce verbis: Tremori martyris. Semiduplex. In Ecclesia Corisopitensi tantum. In margine autem recto eiusdem pagellae typis mandata est haec annotatione: Videatur tantum pertinere ad Ecclesiam Corisopitensem ut colligitur ex eius legenda (8). In ipso autem opusculo, ad d. item 10 novembris, indicetur officium de communis totum, adiecta altera annotatione: Habetur quidem legenda in antiquo (9), sed forte parum certa (10). De S. Tremoro, ut nonnullis calendaritis fieret satis, actum est ad d. 8 novembris (11); sunt tamen et alia nulla liturgica monumenta, pleraque recentiora, quae eius festum d. 7 eiusdem mensis statuant (12). Ex antiquo sanctorali Corisopitensi
- fluxisse videtur mentio S. Tremori ad d. 10 nov. D in calendario d. v. Renati Kerviler (13).  
 Tryphenna et Tryphosa Iconii in Lycaonia beati Pauli praedicatione et exemplo Theclae in christiana disciplina plurimum proficuisse leguntur in martyrologio Romano (14). Quem ad locum notat Baronius: «Meminit harum Paulus ad Roman. cap. 16 [v. II], agiturque de his in Actis S. Theclae, de quorum certa fide superius egimus die 23 septembris.» Mirabitur sane quisquis Acta Theclae perlegerit egregium virum fidem iisdem praestasse potuisse (15).  
 S. Verani Cabillicensis episcopi ad d. 19 octobris, quo festum translationis illius celebatur (16), res gestas exposuit successor noster B. Bossue (17); qui monuit alias festum eiusdem sancti coli diebus novembris 10, 12, 13, 14 (18).  
 S. Victoriae virginis et martyris, filiae regis Siciliae et S. Gerasinae, quae cum eadem matre Gerasina et cum ceteris undecim milibus virginibus Coloniensibus passa sit, corpus integrum se possidere gloriatur ecclesia cathedralis Burgensis E atque festum tota dioecesis hoc die 10 novembris celebrat: quo etiam die in nonnullis martyrologiis recentis avei inscripta est. De translatione in Burgensem civitatem, quae anno 1320 facta diciatur, quaedam narratio ex Breviario Burgensi anni 1502 edito est in Act. SS., Oct. t. IX, p. 251. Burgensem hanc traditionem, quam quidem gravibus testimonis nití minime credimus, leviter atque audacter, ut solet, impugnavit Bivarius statuimus altero loco Victoriam quae Burgoz colitur esse virginem quandam Voluciae prope Numaniam anno 300 cum sociis passam, altero autem loco eandem esse viduam Ilorci in Hispania Tarraconensi a Vandals anno 406 percussam; utroque autem loco natus est solo testimonio spuri illius chronicorum quod sub Flavii Lucii Dextri ementito nomine olim venditum est. Cf. P. L., t. XXXI, col. 433 et 543.  
 S. Vitonus hodie inscriptus est in calendario cuiusdam missalis Parisiensis saec. XIV (cod.

C (1) In editione tamen quae nuper rime, id est ann. 1924 (non vero ann. 1922 uti inscriptione est) Romae prodit, die 11 nuntiatur. — (2) Cf. SOLLENIUS, *Martyrologium Usuardi*, p. 666; PETRUS DE NATIBUS, *Catalogus Sanctorum*, X, 43; *The Martiloge* translated by R. WHYTFORD (London, 1893), p. 176. Theodorum qui in calendario Mediolanensi anni 1465 inscriptus est (D. GIORGI, *Martyrologium Adonis*, p. 719) non Antiochenum illum sed Euchaitensem esse, a S. Aurelio qui pridie cum eo celebatur, sede pulsus existimatum. — (3) Cf. SOLLENIUS, *Martyrologium Usuardi*, p. 666. — (4) *The Martiloge* translated by R. WHYTFORD (London, 1893), ad diem 10 nov. — (5) BHG. 1748. — (6) *Synax. Eccl. CP*, p. 212. — (7) *Praporitum Sanctorum insignis ecclesiae Corisopitensis* (Parisii, 1642). De quo opusculo eruditè scriptis v. cl. F. DUINE, *Bréviaires et Missels des églises et abbayes bretonnes de France* (Rennes, 1905), p. 156-57, num. 56. Rarissimi huius sanctorialis exemplo quod in Museo Bollandiano asservatur notula manu XVII saec. ascripta est: «Authore Carolo Guyet Presbytero Societatis Jesu; quod veri speciem prae se ferre videtur. Ex hoc sanctoriali paucia excerpta TRESVAUX, *Les Vies des Saints de Bretagne...* par Dom G.-A. LOBINEAU, nouvelle édition, t. I (Paris, 1836), p. xxxiv, col. 2. — (8) Haec est BHL. 8312. — (9) In breviario illo gothico, cuius unicum exemplar in eodem Museo nostro servatur; cf. DUINE,

op. c., p. 155-56. — (10) P. 85, col. 2. — (11) *Act. F SS.*, Nov. t. III, p. 829-31. — (12) Exempli sunto *Officia propria sanctorum Corisopitensis dioecesis* (Rhedonis, 1852), p. 100-101; calendarium iisdem *Officiis propriis* adiectum (s. a., s. l.), p. 11; *Missae propriae sanctorum dioecesis Corisopitensis* (s. l., paulo post annum 1851), p. 15; *Ordo divini officii ad usum dioecesis Corisopitensis*, 1840, 1854, 1860; *Ordo divini officii ad usum dioecesis Corisopitensis et Leonensis*, 1899, 1903, 1912. Advertendum est S. Tremori officium indictum fuisse d. 13 novembris in *Ordine Corisopitensi* anni 1834, et d. 14 nov. in supplemento adiecto *Ordini* anni 1840. — (13) In *Annuaire de Bretagne...* pour l'année 1897, par René KERVILER et Paul SÉBILLOT (Rennes, 1897), p. 42. De locorum nominibus quae cum hoc Tremoro coniungenda sunt, cf. J. LOTH, *Les noms des saints bretons*, in *Revue Celtique*, t. XXX (1909), pp. 303, 320. — (14) Scite adverb. Castellanus: «Nouvellement placés ici à l'occasion du nom de S. Tryphon.» *Martyrologue universel*, p. 571. — (15) De Tryphaenae nomine, lege et qua scripsit R. A. LIPSIUS, *Die apokryphen Apostelgeschichten*, t. II, p. 464-67. — (16) Cf. *Act. SS.*, Oct. t. VIII, p. 465, num. 59; *Catal. Lat. Paris.*, t. III, p. 706 et p. 707 (ad d. 20 octobris). — (17) *Act. SS.*, t. c., p. 452-74. — (18) Ibid., p. 465, § V; cf. *Catal. Lat. Paris.*, t. III, p. 717-18 et martyrologia recentia ad hos dies.

Paris.

A Paris. B. N. lat. 8885; cf. Catal. Lat. Paris., t. III, p. 717). De eo vid. ad d. 14, quo eius festum agitur in ecclesia Virodunensi.

Werembaldus monachus Hirsaugiensis saeculi X, quem hodie laudat Castellanus in Martyrologio universali, neque inter sanctos neque inter homines recenseri debet, cum a solo Trithemio commemoretur, qui ipsius nomen, gesta, scripta in falsissimis

illis Annalibus Hirsaugiensibus (t. I, p. 118, ad D. an. 965) primus protulit atque utique ipse confinxit et commentus est.

S. Willibrordi translatio recentiore manu in codice Epternacensi martyrologii hieronymiani ad hunc diem inscripta est. Vid. ad d. 7, t. III, p. 432, num. 46.

## DE SANCTIS TRYPHONE, RESPICIO ET NYMPHA MARTYRIBUS ROMAE CULTIS

TEMPORE  
INCERTO

### COMMENTARIUS PRAEVIOUS

H. D.

**Sanctorum**  
trium  
turma  
antiquis  
ignota.

1. In martyrologio Romano hodie nuntiatur Natalis sanctorum martyrum Tryphonis et Respicii ac Nympae virginis, quos nec Beda nec Ado nec Usuardus commemorant. In plerisque tamen martyrologiis quorum in ecclesiis Urbis usus fuit ea nomina leguntur. Ita in codice Barberiniano XIV, 19, saec. XI ineuntis, manu recentiore ad diem IIII id. nov. scriptum est Romae S. Triphi et Respicii et S. Nimphe (1). In codice Archivi basilicae Sancti Petri H. 58, qui saec. XII exaratus est, die decimo novembris legitur: Respicii et Triphonis, et pridie alia manu additum est: In portu sancte Nimphe. Codex Musei Britannici Add. 14801, qui fuit Sanctae Mariae trans Tiberim, saec. XI exaratus, solum Tryphonem nunfial: et in campo martio Triphonis, cui alta manus adiunxit: et sancte Nimpfe virginis. E codicibus romanis Tryphon et Respicius, addita non raro Nympa, in auctaria Usuardina (2) et in calendaria (3) irreperserunt. Non aliam ob causam trium martyrum nomina in calendariis coniuncta esse quam propter eorundem reliquias uno sub altari Romae congregatas, in ecclesia Sancti Spiritus in Saxia, manifestum est. Documentorum quae ad nos pervenerunt ratio et res ipsa postulat ut primum de S. Tryphone, dein de SS. Tryphone et Respicio, tandem de S. Nympa seorsim agamus.

**A 1** = Codex Vindobonensis Hist. graec. 3, membraneus, saec. XI exaratus (4). Menologium februarii. Fol. 1-6: Passio S. Tryphonis = BHG. 1857, fol. 6<sup>o</sup>-12<sup>o</sup>: Βίος ταὶ θαύματα τοῦ ἀγίου ταὶ ἐνδόξον μάρτυρος τοῦ Χριστοῦ Τρύφωνος. Vitam et Miracula contulimus.

**A 2** = Codex Hierosolymitanus, bibliothecae Patriarchalis 1, membraneus, foliorum 209, saec. X exaratus (5). Menologium februarii. Fol. 1-5: Βίος τοῦ ἀγίου Τρύφωνος, mox edendus; fol. 5<sup>o</sup>-10<sup>o</sup>: Μαρτύριον τοῦ ἀγίου Τρύφωνος = BHG. 1856. Imagines photographicas Passionis v. cl. P. Franchi de' Cavalieri, Vitae autem R. D. Lefort professor in Universitate Lovaniensi amicissime suppeditarunt.

**A 3** = Codex Parisiensis, bibliothecae Nationalis gr. 1452, saec. X exaratus (6). Menologium februarii. Fol. 1-4<sup>o</sup>: Passio S. Tryphonis = BHG. 1857, sed acephala; fol. 4<sup>o</sup>-5<sup>o</sup>: Θαύματα τοῦ ἀγίου ταὶ ἐνδόξον μεγαλομάρτυρος Τρύφωνος, sed foliis avulsis des. mutil. in verbis: Κέριον τὸν Θέον σὺν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς (c. 3). Miracula contulimus.

**A 4** = Codex bibliothecae Ambrosianae D. 92 F sup., membraneus, saec. XI exaratus (7). Inter plurimas sanctorum Passiones, fol. 249-253: Passio S. Tryphonis = BHG. 1856, quam contulimus.

**A 5** = Codex Parisiensis, bibliothecae Nationalis gr. 1460, partim membraneus partim chartaceus (8). Prior pars (fol. 1-184), quod est menologium Ianuarii a die 20, saec. XI exaratus est; altera, in charta recentius descripta, principium menologii februarii. Fol. 184-190<sup>o</sup>: Μαρτύριον τοῦ ἀγίου ταὶ ἐνδόξον μεγαλομάρτυρος Τρύφωνος = BHG. 1856; fol. 190<sup>o</sup>-196<sup>o</sup>: Αρχὴ τῶν θαυμάτων τοῦ ἀγίου μεγαλομάρτυρος Τρύφωνος. Speciminis gratia cc. 3-8 contulimus.

**A 6** = Codex Parisiensis, bibliothecae Nationalis gr. 1451, membraneus, saec. XI exaratus (9).

Vitae et  
Passionis  
S. Trypho-  
nitis

2. Quaecumque de S. Tryphone tradita sunt graecis e fontibus manarunt. Habemus autem graece Passionem S. Tryphonis, eius Vitam seu Miracula, Passiones retractulas, laudationes varias. Et horum quidem monumentorum antiquissima quae feruntur in hisce codicibus reperiuntur, quorum ali⁹ solam Passionem, ali⁹ vero Vitam Passionis coniunctam exhibent.

(1) QUENTIN, *Les martyrologes historiques*, p. 34. — (2) De quibus SOLLERIUS, *Martyrologium Usuardi*, p. 665. — (3) In calendariis Aquensis, Catalaunensi, Ruthenensi, Foroiuliensi (Fréjus), *Catal. Lat. Paris.*, t. III, p. 717; in calendariis Melphictensi, Rubastino, Canusino, ap. I. M. GIOVENE, *Kalendaria vetera manuscripta* (Neapol., 1828), pp. XXX, XLII, LIV, LXVI. — (4) *Catal. Gr. Germ.*, p. 38. — (5) A. PAPADOPoulos-KERAMEUS, *Τερρανομάτικη Βιβλιοθήκη*, t. I, p. 1. — (6) *Catal. Gr. Paris.*, p. 118. — (7) MARTINI-BASSI, *Catalogus codicum graecorum bibliothecae Ambrosianae*, t. I, p. 284. — (8) *Catal. Gr. Paris.*, p. 134. — (9) *Ibid.*, p. 116.

Excerptum